



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Ivre Ac Potestate Romanorum Pontificum,
Imperatorum, Regum ac Episcoporum**

Alvarez Guerrero, Alfonso

Coloniae Agrippinae, 1586

VD16 A 2069

De Duello. cap. xlv.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63477)

sua Carthaginenses cum interimerent, voluit potius mori, quam fidem violare. Et hoc iure utuntur armigeri, quando ex duobus exercitibus duo volunt pugnare dare securitatem à ducibus belli; & pugnant infra præsidia alterius sine suspitione iudicis, & loci, quia securitas ducis præsidantis in territorio locum securum facit.

DE DVELLO. CAP. XLVI.

S V M M A R I V M.

- 1 An licitè, vel iustè duellum indici possit.
- 2 Licetum est bellum iustum in duellum resolvere.
- 3 Quæ, & quot sint causæ finales pro pugna singulari ordinanda.



- 1 Icitè, vel iustè duellum indici non potest; itaque duellum, hoc est, singulare bellum indici, peccatum mortale est; quia eligitur percussio proximi, & mors proximi absque sufficienti talis belli causa. Itaque suscipere, seu acceptare duellum, vel pro manifestatione veritatis, peccatum mortale est; quia contra rationem rectam eligitur percussio proximi, periculum vite, & divini iuris fit usurpatio cum tentatione Dei, & diabolica adinventio impletur. Et per eandem rationem peccant mortaliter bellantes, decem hinc, & decem inde, ut quâdoque spectaculi gratia tempore belli fit. Non enim excusantur propter tempus belli, quasi sit partialis conflictus cum hostibus; quia non habet locum finis belli in huiusmodi partiali certamine. Non enim ordinatur conflictus iste ad bellandum, vel minuendum hostium virtutem, sed ad ostentationem hominum, vel ad evitacionem ignominie suo iudicio (quasi vilis, & degeneris animi reputetur, nisi acceptet duellum.)
- 2 † Sed licitum est resolvere bellum iustum in duellum, quando pars habens iustum bellum videt se aliter succumbere; utitur enim viribus suis, ut melius potest.
- 3 † Sex autem causæ finales videntur potissimè, ad quas singularis pugna ordinatur; & prima manifestatio veritatis, quia

quia aliqui confidunt, quod victoria sua erit testis veritatis; & tale bellum, vel certamen proprie vocatur duellum, & damnatur ab ecclesia, ut in titulo de purgatione vulgaris; & in cap. Monomachiam, ij. quæst. v. Monomachia, id est, singulare certamen inter duos; Monos enim dicitur unum, & machia pugna interpretatur. istos enim lex Romana condemnat, ut C. de gladiatoribus, l. vnica, libro xj. Itaque duellum est de iure canonico etiam prohibitum, c. porro. & ibi glo. & docto. de pugnantis in duello. Eucharistia ergo non est danda talibus, cum peccent mortaliter. dicunt quidam quod defendentes possunt sumere, quia est defensio. Sed tu vide docto. in d. c. Monomachiam, ubi litera dicit: Monomachiam verò in lege non assumimus, quam præceptam fuisse non reperimus; quam licet quosdam iniisse legamus, sicut David sanctum, & Goliath sacra prodit historia; nusquam tamen, ut pro lege teneatur, alicubi diuina sanxit autoritas; cum hæc, & huiusmodi sectantes Deum solummodo tentare videantur. & ibi dicit glo. David non peccauit, quia instinctu Spiritus sancti fecit, ut Samson, et alij, ut in c. si non, xxij. q. v. ubi litera Augustini dicit; Qui Deo authore bella gesserunt, præcepta non occidendi nequaquam transgressi sunt. & videbis docto. in c. gaudemus, de diuortijs; & vide doctissimum Caetanum in sua Summa, fol. 12. & vide in Commentarijs in secunda secundæ sancti Thomæ, in q. xcvi. ad octauum, ubi etiam videbis de forte.

QUANDO IUSTVM BELLVM EST,
omnes capiuntur, & spoliuntur, & spoliatus domi-
nus rei sit. Cap. XLVII.

S V M M A R I V M.

- 1 In bello iusto omnes capiuntur, & spoliuntur.
- 2 De iure diuino, quando bellum iustum est, spolia inimicorum capientium sunt, & homines serui fiunt. & numero 3.
- 4 Iustum bellum quod dicatur.